

Andreas Daniel Habichhorst Henricus Thau

**Partis II. Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Sexta De Nunciis Gentis,
Thriumphum Contra Philistinos De Fundata Zione Relaturis, Ex Isai XIV. iuxta
Luth. XV. v. ult.**

Rostochii: Weplingius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740908936>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 18. April 1696

Habichhorst, Andr. Dan. /6

PARTIS II.
ILLUSTRIORUM ISALÆ LOCORUM
DISSERTATIO SEXTA
DE

NUNCIIS
GENTIS,

THRIUMPHUM CONTRA PHILISTINOS
De FUNDATA ZIONE
RELATURIS,

Ex JSAL XIV. juxta Luth. XV. v. ult.

QVAM

Auxiliante DEO . Homine & R. FCte Theol. consentiente,
PRÆSIDE

ANDREA DANIELE
HABICHHORSTIO,

S. TH. DOCT. ejusdemq; P. P. & Consiliario Duc.

Mekelb. Consistoriali, Collegiūq; Proff. Ducalium ut & FCtis

Theologicæ Seniore, & h. t. Decano,

Academicæ sententiarum collationi,

In illust. & perantiquæ Univerf. Rostoch. AUDITORIO MAJORI,

ad. d. 18. Apr. A. 1696. institutæ, sistit

HENRICUS *Thau* Stasfordiâ Saxo.

— ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ —
Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

LIBRARY OF THE
 UNIVERSITY OF
 ROSTOCK
 PHYSICAL SCIENCE
 DEPARTMENT
 171

LOC. VII. JSAL. XIV. juxta
Germ. XV. v. 32.

De

*Nunciis gentis, contra Philistinos triumphum
de fundata Zione relaturis.*

DISP.
VI



Vemadmodum præcedens locus de *Serpente ignito volante*, Philistinorum occisore & Zionis Pastore, *Chiskia*, qui radix h. e. semen s. fructus *Achasi*, ex priori Prophetiæ Philistinis onerosæ membro, desumptus erat, quo Propheta Philistinos tempore mortis *Achasi* Regis *Jhudæ*, hæctenus Philistinorum virgæ jam fractæ, à gaudio *dehortatur*, idemque locus *dehortationis causam* continebat: ita & præfens locus, de *nunciis gentis*, non tantum ex posteriori ejusdem Prophetiæ membro petitus est, quo dictus Propheta eosdem Philistinos *adluctum adhortatur*, sed & hujus ad luctum *adhortationis rationem* sistit. Præcedente enim versu 31. Propheta descriperat tum luctus *universalis*, quoniam *iosatbilista* a cū sumis & imis ejulare debebat, tum *gravitatem*, quia Philistini *ejulare*, vociferare, deficere perhibentur; dehinc verò ad *rationem* ejulatus nationalis procedit, quæ sanè exercitus *Jhudaici* ductu *Chiskia* erumpentis *adventus* erat, illumque simul exercitum describit (1) ut *densissimum* & validissimè citissimèq; penetrantem, sub *metaphora fumi*, (2) ut *promississimum*, quia nemo se à castris subducebat, & (3) ut *felicissimum*, quia de successu ejus à Deo *Zionidato* non tantum *fama per nuncios* sit locutura, sed & *triumphus de Zione à DEO fundata* per eosdem referendus. Et hanc tertiam *adhortationis rationem*, sive *Jhudaici exercitus* contra *Philistinos adveniens felicitatem*, per nuncios & *triumsum de-*

P

clarare

clarandam præsens locus comprehendit, ita in fonte habens: ומה יענה מלאכי גוי כי יהיה יסר ציון וכה יחוו עמי
 i. e. *Et quid respondebunt nuncii gentis? quod Dominus fundavit Zion & in ea confident afflicti populi ejus.* Igitur hac vice audiendi nobis sunt nuncii s. legati, contra Philistinorum triumphum Zionis fundata relaturi. Quod ut ordine quodam fiat, pro genuino lori sensu melius eruendo, ipsos (1) nuncios s. legatos (2) nunciorum responsa sive nuncii contenta considerabimus, dubiisque circa utrumque resolutis usum annectemus.

§. 2. Circa I. sive nuncios, duo hic potissimum disquirenda veniunt: nam (1.) quaeritur, an nuncii h. l. sint *subjectum* relationis triumphus de Zione fundata, ita ut ipsi sint oratores & confessores, qui triumphum annunciarint sive responderint aliis, quod Zion sit fundata? an verò sint *objectum* relationis triumphus, ita ut iisdem nunciis fuerit ab aliis responsum, sive illis triumphus iste ab aliis relatus? (2.) quaeritur, quorum nuncii hic intelligantur, & quæ adeo גוי s. gens in singulari? an nuncii gentium aliarum? an gentis Iudaicae! an vero ipsi fuerint *Angeli*, Spiritus administratorii? Ad prius primæ quaestionis membrum, an nuncii h. l. sint relationis *subjectum* s. ipsi oratores & confessores triumphus? respondet Lutherus affirmativè, dum ita vertit: Und was werden die Boten der Heiden hin und wieder sagen? Nämlich der Herr hat Zion gegründet &c. Consentit Vatablus ita reddens: *Et quid respondebit quisq. nunciorum gentis?* quod Jhova fundavit Zion &c. item Castalio. *Vulgatus* v. posterius quaestionis membrum: an nuncii sint *objectum* relationis, sive illi, quibus ita responsum, probat, dum h. m. transtulit: *Et quid respondebitur nunciis gentis?* quia Dominus fundavit Zion &c. Consentit Grotius: *quid nunciis sciscitantibus de iis quæ aguntur?* item Jun. Trem. *quid responsurus est legatis Rex novus, scil. Chiskias.*
 Simi

Similiter *Batavi* & *Sanctius* Jesuita comment. in Jsa. p. 167. qv̄i
Vulgatum secutus, suam simul sententiã exemplis ex 2. Reg.
10. & c. 8. ut & Jsaï. 39. illustrat. h. m. *Usitatum fuit in omni fere
mẽ natione, ut vicini principes, si qv̄id alicui aut secundum aut ad-
versum acciderit, legatione significent, sibi illud aut dolori fuisse
aut voluptati. Dicit igitur Isaias, Gentium legatis, qv̄i gratulatum
venerint ad Ezechiam, ob victoriam de Philisteis comparatam, re-
spondendum esse, victoriam illam acceptam esse referendam Dei
benignitati atq; potentia, non hominum viribus.*

§. 3. Ratio dubitandi, qv̄æ priori sententiã, (qva le-
gati statuuntur *subjectum* relationis) videtur obstare, simulq;
posteriori (qva legati *objectum* dicuntur) favere, sumitur ex
verbo singulari יענה i. e. *respondebit*, qv̄od cum plurali nomi-
ne כולאכי i. e. *nuncii* construitur q. d. qv̄id respondebitur, ju-
xta Vulgatum (sumtã voce respondendi *impersonaliter*, qv̄od
aliàs sæpe in scripturis fieri solet) vel qv̄id respondebit (sc.
Chiskias, juxta *Jun. & Trem.* de qvo immediatẽ in præced.
v. 29. cum dicitur: *ex serpente egredietur basiliscus & ignitus
volans* i. e. Chiskias) qv̄id, inqvam, *respondebit Chiskias lega-
tis gentis?* Verũ ad hoc dubium respondemus, qv̄i prio-
rem sententiã, qva legati hĩc *subjectum* relationis statuun-
tur, facimus nostram, qv̄od singularis verbi numerus nihil
hĩc obsit, sed potius profit; qv̄ia talis verbi pluralis positus
cum singulari nomine, apud Ebræos perqvam est usitata
& distributionem notat, uti Num. 32. 25. *& dixit filii Gad.* h. e.
qv̄isq; filiorum Gad. Conf. *Glass. Philos. sacr.* l. 3. Tr. 3 can. 32. ut
adeo sensus hic fuerit: *Qv̄id respondebit hic & ille, vel quisq;
nunciorum?* scilicet illud qv̄od seqv. membro dicitur, uti re-
ctẽ exposuit Vatablus paulõ antẽ jam laudatus.

§. 4. Deinde & priori sententiã de nunciis *subjectivẽ*
hĩc positis prodest, & posteriori obest *defectus particule* tan-
quam

quam Dativi casus notæ, in voce quæ nuncios significat: non enim dicitur hîc למלאכי. e. nunciis: ut adeo sensus verborum non sit: *quid respondebitur nunciis?* sed *quid respondebunt nuncii?* was werden die Boten sagen / uti hætenus rectè Lutherus; vel: *quid respondebit quisq. nunciorum?* Quamvis autem ellipsis talium quoque particularum, speciatim ל, apud Ebræos sit satis frequens (quam positus vocum arguere satis solet) adeoque læpius verba quævis sine propositione cum nominibus construuntur, ut 2. Sam. 15. 31. ורור הגור & Davidi annunciarunt, pro ורור ל & Jerem. 31. 17. וכל הולך אמרו. & omni ambulanti dixerunt pro וכל ל & c. Vid. Append. Gram. Wasm. de idiotism. Synt. p. 283 291. hoc tamen loco talem statuerere vel fingere ellipsin nefas est, ubi scil. positus verborum sic satis vocem quæstionis למלאכי non Dativum sed Nominativum esse evincit, adeoque nulla hic necessitas ellipsin requirit. Suffragatur hîc nobis B. Varenius in Comment. h. l. p. 52. qui & hanc ibi regulam addit: *Casus personalis* (ut h. l. למלאכי) *post verbum respondendi* (h. l. יענה) *non particulatus* (i. e. particulam non habens præfixã (uti hîc non dicitur למלאכי) *semper est subjectivus*) (subjectum propositionis) & *Nominativus*. Ita Sam. 8. 18. c. 26. 14. Jerem. 42. 4.

S. 5. Probato sic, nuncios h. l. *subjectum* esse relationis triumphi contra Philistinos, jam ulterius & (2.) quæritur, *quorum nuncii* hîc intelligantur, qui retulerunt, & quis adeo גוי ille, sive *gens in singulari*, cujus hic nuncii prædicuntur triumphum Zionis relaturi? (in fonte enim non sunt nuncii גוים i. e. *gentium in plurali*, ceu Lutherus reddit: Boten der Heiden neque nuncii גוי גוי i. e. *gentis hujus* & illius, uti rursus vertit Lutherus, die Boten der Heiden hin und wieder / sed nuncii גוי *gentis*) adeoque quæritur, an legati hi fuerint *gentium aliarum quarumlibet*, sive *Assyriorum*, sive *Philistinorum*? an v. *gentis*

eis Iudaica? an potius ipsi intelligantur *Angeli Dei*, qui eetero
 roqui in scripturis eadem voce Ebraea מלאכים quæ h. l. habe-
 tur, solent significari? Sanè enim tot Interpretum sententiæ
 circa hosce nuncios reperiuntur. Supposito autem ex antea
 dictis, nuncios hic non esse *objectum*, cui sit responsum, sed
subjectum relationis. illos ipsos, qui tale quid retulerunt, di-
 cimus (1.) non convenire, ut per *gentem* intelligamus *gentem*
alienam quamlibet cum Calvino, qui in *Comment. h. l. p. 135.*
Ego, inquit, simpliciter de quibusvis gentibus, quum de una
 interpretari malo. Cui & *Wolff. Musculus* assentitur *Com-*
ment. in Isai. h. l. p. 253 nec (2.) quadrare, ut legatos hic statua-
 mus *Regum alienorum*, victos Chiskia Philistæos gratulanti-
 um, & quidem *Affyriorum*, quæ nonnullorum est opinio: si qui-
 dem dictus jam *Musculus l. c. p. 254.* ex *Lyrano* duplicem
 huius loci sensum affert, & alterum quidem hunc dicit: *Et quid*
respondebitur nunciis gentis i. e. nunciis Chiskia & principum
ejus, qui discurrentes per Iudæam predicabunt dicentes? Reverte-
mini ad Dominum Deum Abrahami &c. qui effugerunt manus Affy-
riorum 2. Chron. 30. 6. Hoc scilicet respondebitur, quod Deus fun-
davit Zion. Posteriolem vero illum? Et quid respondebitur nun-
ciis gentis, scil. Affyriorum, missis Hierosolymam, ad terrendum
Chiskiam & populum ejus, ut 2. Chron. 32. Scilicet hoc: Deus
fundavit Zion, ideoque non irademus urbem banc Affyriis. Et hanc
posteriolem tanquam probabiliorem Musculus sequente
Hieronymi expositione illustrat: si quæsierint nuncii gentis Af-
syria, quare solus Iuda evaserit? respondebitur eis: propterea quod
Deus fundavit Zion. &c. Sed neuter sensus est conveniens:
 Nam (a) falsa est hypothesis de nunciis *objectivo* hic sumtis,
 quasi his responsum fuerit: cum paulò antea ostensum sit,
 nuncios potius respondentem fuisse. Neque (b) *discurrentes Chis-*
kia nuncii 2. Chron. 30. 6. descripti, ad præsentem quadrare
 P 3 locum

locum censemus: illic enim sub initium regiminis Chiskia^e emittuntur cursores, convocaturi reliquias Israelis ad celebrandum Passah (ceu vulgo vocatur) hic verò post debellatos Philistæos alio sine nuncii Chiskia^e prorumpunt, ceu deinceps ostendetur. Neq; (γ) impiis *Sembaribi* Regis Assyrii legatis, (quos inter Rabface blusphemus orator eminebat. 2. Reg. 18. v. 17. 33. seqq. Isac. 36. 2. seqq.) honorem hujus nuncii tribuere conveniens putamus: sanè blasphema illorum Assyriorum contra Zionem directa oratio reclamat nuncio huic pietatis pleno, quod non nisi veris confessoribus convenire potest. Neque Assyrios ad talem confessionem de Zione à Deo fundata sive tunc sive antea pervenisse Codex sacer ostendit. Quid? quod legatio hæc Isaiana uti longe prior expeditione fuit Sencharibi, ita & proximè cladi Philistinæ à Chiskia illatæ successit. Dicimus (3.) nec ipsos *Philistinorum* legatos per gentis hujus nuncios intelligi posse, quod ceteroqvi *R. Abarbeneli* & post illum *glossæ* etiam *Belgice* placet, ita habenti: *Berstaet hier de Ambassadeurs der Philistinen* / & quidem obsequentes causas; non enim (1.) strages Philistina, quam subsequutum est hoc nuncium, sollemnitate legationis admittit: neque (2.) his infidelibus tam pia confessio de Zione fundata tribui potest.

§. 6. Præstat igitur per *13 f. gentem*, cujus hic dicuntur nuncii, ipsam intelligere gentem *sanctam*, sive *Jhdaiam* (quippe quæ non rarò nomine *13 f. gentis* absolute in scripturis positæ indigitatur (conf. Jhof. 3. v. ult. c. 4. v. 1. & c. 5. 26. & c.) adeoque ipsum Chiskiam Regem devictis sic Philistæis ad reliquias tribuum Israelis misisse nuncios colligimus, qui pia Zionis *Trivicia* & triumphum retulerunt eamq; adeo fundatam à Deo sic testati fuerunt: postquam enim X. tribus à Salmanassare Assyriorum Rege fuerunt deportati,

cer.

certè Jhudah sub Chiskia victis Philistinis nova sumfit incrementa. Consentit B. Varenius noster, Comment in Isai. h. l. p. 53. ita scribens: *Malum per ירי gentem sanctam, ipsam scilicet Israeliticam intelligere, quam hoc nomine in sacris frequenter venire, etiam absolute positam per tot loca dubitare non licebit.* Et pag. seq. 54. addens: *Placet quod videmus veteribus in Jbudaorū Schola placuisse, ut intelligatur scil. de ישראל מלכא. Misisse scil. Chiskiam legatos & nuncios in omnes Israelis terminos.* In eo tamen ipsi non suffragamur; quod in sequentibus e jusdem paginae 54. verbis hos Chiskia nuncios statuat illos ipsos, quorum paulò antè jam ex Lyrani relatione mentionem fecimus, quique ad veri Dei in Zione celebrandi cultum & quidem ad celebrandum Passah reliquias Israël invitarunt & 2. Chron. 30. describuntur. Ibi enim Sacer Historiographus neque Philistæorum neque ullius vitæ ab illis reportatæ, sed invitationis tantum ad celebrationem Passah mentionem facit. Equidem Chiskianam illam legationem invitatoriam 2. Chron. 30. priorem fuisse Sencharibi expeditione satis apparet: siquidem illa cursorum emissio statim sub initium regiminis Chiskia facta recensetur 2. Chron. 30. nam primo mense primi regiminis Chiskia anni templum hactenus sub Achaso Patre clausum recluditur & repurgatur 2. Chron. 29. 3. 7. & sequente secundi mensis die 14. celebratur Passah 2. Chron. 30. 2. 3. Expeditio vero Sencharibi demum ad annū regni Chiskia 14. refertur 2. Reg. 18. 13. Quod vero isthæc legatio s. cursorum emissio victoriæ contra Philistinos obtentæ statim successerit, ceu B. Varenius censet, è locis sanè citatis 2. Chron. 30. & 2. Reg. 18. non apparet; sed potius ex 2. Reg. 18. 8. ubi Philistinorum à Chiskia cæsum habetur mentio, colligimus, non statim primo regiminis Chiskia anno vel primo regiminis mense, sed subsequenter demum, à Chiskia Philistæos esse devictos. Præterea sententiæ etiam nostræ

de gente Jhudaica per מַלְאָכִים gentem (cujus nuncii de Zione à Deo fundata responderunt) intelligenda, favet *Dn. D. Schmidtus* Comment. in Isai, h. l. p. 150. Licet enim vix decem ibi lineas pro illustrando hoc loco duxerit; pro gente tamen Jhudaica pronunciat ita scribens: *Videtur gens hac* (cujus nuncii responderunt) *esse judaica, non gentes infideles; quanquam ad banc samam etiam venisse non est dubium. Exiit enim fama & nuncii ex Zione, & post pauca: Sub Chiskia Jhudei sibi invicem per nuncios gratulabantur, Jehova gloriam dantes.*

§. 7. Quod deinque ad quæstionem de ipsis attinet Angelis (quorum hoc secundum excellentiam nomen in scripturis est, quod מַלְאָכִים h. e. nuncii vel legati dicantur) illam *R. Abarbenel* h. l. movet atque affirmat, adeoque novum nobis interpretamentum obtrudere hinc conatur; dum dicit: שֵׁר בְּשָׂמַיִם h. e. esse unicujusque nationi terrestri peculiarem angelum principem in cælis, quales illi in Daniele Princeps regni Græciæ & Princeps regni Persiæ, illosque מַלְאָכִים h. e. intercessores apud Deum pro suis gentibus eorumque terris esse. Dicere ego Prophetam hic velle: Licet Angeli Philistinæ & confœderatorum illis gentium, præprimis ille Princeps Philistinorum in cælis angelus maxime conetur genti Philistinæ opitulari; tamen inanes fore has intercessorias Angelorum responsiones, quia firmum DEI consilium de fundata Zione obstat. Nos verò quàm frivolum & inane sit Rabbini hoc commentum, ut prolixè ostendamus, minimè opus esse putamus; siquidem שֵׁר בְּשָׂמַיִם אֲשֶׁר לְכָל עַם וְעַם h. e. Nationales angelos in cælis, non probant Princeps Persiæ & Græciæ apud Dan. 10. v. 20. & ult. Ille enim Princeps Persiæ non est שֵׁר בְּשָׂמַיִם sicut nec ille Princeps Græciæ; sed ex internatibus aliquis, quod vel hoc ipso prodit, quod non Michaëli tantum, uni ex Principibus Dei primarius, ceu vocatur Dan. 10. 13. sed

10. 13. sed & Danieli & DEO ipsi adversentur, quod Satanæ proprium est, quippe qui à Rad. *W* h. e. *ab adversando* in lingua sancta nomen habet. Quid? quod Angelorum natura charitatis ignibus flagrantissima, post confirmationis Sacramentum nationale bellum non admittit, neque humilis & ministerialis ipsorum reverentia permittit, ut sese DEO opponant, aut sanctorum lacrymis & precibus adversentur, uti quidem ille Princeps Persiæ per 21. dies Danieli lacrymanti, juxta locum Danielis, & Angelus Philistinæ Zioni fundandæ, juxta interpretamentum Abarbenelis, fuerunt advertati. Conf. B. *Varen. Comment. in Isa. h. l.* Verùm de nunciis *s. legatis*, ut opinor, sic satis.

§. 8. Restat ut nonnulla etiam de legatorum responso *s. nuncii contentis* subjiciamus. Ubi (1.) generatim quæritur, an verba quæ sequuntur omnia: *quia Dominus fundavit Zion, & in ea confidenti afflicti populi ejus*, sint legatorum verba, adeoque omnia ad responsum pertineant; an vero ultima (*& in ea confidenti afflicti populi ejus*) sint verba Prophetæ, quasi responso nunciorum applaudentis? Sanè enim *Wolfg. Musculus Comment. h. l.* Existimo, inquit, posteriora verba non esse nunciorum, sed Prophetæ vaticinium concludentis; Sed rationes assertionis non subdit. Cumque nec rationes illæ in textu appareant: Si quidem nec fons Ebræus in voce *Zion* (ubi juxta *Musculum* finiri nunciorum verba deberent) majorem habet accentum distinctivum, quàm qui ordinariè in continuatione verborum ab iisdem nunciis prolatorum postulatur: proinde Musculo non assentimur, scientes præterea, non gentium exterorum neque impiorum hæc esse verba, sed Iudæorum piorumque confessorum, qui pia hîc *in vicinis* & rectius quidem, quàm antea Philistiæ, juxta versum præced. secundum, fecerant, canuni, & in cantico hoc non tantùm Deo victoriam referunt acceptam, sed afflicto quoque populi Dei erigunt, quod sc. Deo Zionis liberatori ulterius confidere tutique in Zion vivere queant.

§. 9. *Speciatim* verò circa responsum hoc quærere liceat, tum de *Subjecto Zion*, quid *Zion* h. l. notet: tum de *predicato* utroque, quid sibi velit, quod dicatur *Zion à Deo fundata* eademque

Q

fusus

futura afflictis populi Dei refugium? Primo quidem loco de *subiecto* Zion non temere quæritur, cum aliàs vox illa variè sumatur: proprie enim notat montem à *h. e. siccitate* dictum atque in septentrionali urbis Jerusalem parte situm, uti colligitur ex Pl. 48. 3. Et quoniam arx quædam in monte hoc constructa erat, quæ dicebatur *arx Zionis & civitas David*, eò quod Rex David eandem expugnasset, ibique habitaret, juxta 2. Sam. 5. 7 hinc porro Zion *improprie* etiam sumitur, & quidem modò *Synecdochicè* sæpius, tum *pro ipsa urbe Jerusalem* Pl. 48. 13. Pl. 87. 2. Sachar 1. 14. 17. c. 8. 3. etc. neque obstat, quod in quibusdam locis voci Zionis subjungatur vox *Jerusalem*: posterius enim tunc pro prioris exegetico est habendum: tum pro templo urbis Jerusalem Pl. 137. 3. Jer. 51. 10. modò *Metonymicè* per Zionem vel per *filios filiasq;* Zionis intelliguntur incolæ urbis Jerusalem & Judæi Joel 2. 2. Sach 9. 13. imò regnum Jhudaicum, atque ipsa Jhuda, Isai. 14. 32. Aliquando Zion tanquam *Ecclesie typus* proponitur, quæ primò quidem in hoc monte ante templum & mox in templo cultum habuit externum; deinde vero sub Evangelio per univèrsam orbem est diffusa, atque ita per Zion modo *Ecclesia Jhudaica* Pl. 67. 8, &c. modò *Christiana* Eb: 11. 22. Apoc. 14. 1. intelligitur. Cum vero quæritur, *quid b l. per Zion intelligatur*, quæ fundata hic à Deo prædicatur, responsio in promptu est. Scilicet non intelligitur *mons Zion* propriè dictus: montium enim nomina mascul. sunt generis: vid. Wasmuth. Gram. Reg. 19. Sed *urbs Jerusalem*, non exclusâ Dei Ecclesiâ, quod patet tum ex seqv: affixò *foemino* ׀ in voce prima posterioris incisi ׀ i. e. *Et in ea confident* &c. (quod vero Pl. 87. 5. de Zion quoque *foeminina* adhibentur affixa, id pariter fit respectu urbis Jerusalem & Ecclesiæ, quam ibi representat) tum ex *contextu & prædicatis*: Nam de Zione post victoriam à Philistæis obtentam, nuncii prædicant (i.) quod *à Deo sit fundata*. Quid quæso Philistæi cogitabant evertere aliud, quam hanc urbem populumque Dei? eo enim sine in Zionem arma movebant; sed falebantur frustra que adeo contra Zionem pugnant. Hinc nuncii referunt, *Deum fundasse Zionem*. Hæc autem *fundatio non facta est cæmentis aut lapidibus, sed promissionibus*

bus DEI gratiosis & gratuitis q. d. excidium Philistææ est in-
 signe DEI gratiæ documentum, ex quo non tantum hostes po-
 puli Dei jam devicti, sed & remotissima gentes intelligent, Deum
 firmasse promissionibus ideòque tueri urbem hanc & conservare
 populum, cui Deum se fore promisit, quemque adeo sibi elegit,
 ita ut ex illo Messiam destinaverit nascendum, qui omnium est re-
 fugium & solatium futurus. Quorsum & *posterius predicatum* col-
 limat, quo nuncii hinc nostri de Zione confitentur, *quod in ea confi-*
suri sint afflicti (pauperes) populi Dei. Hoc enim non ita accipiendum
 ac si afflicti s. pauperes populi Dei, qui sive armis sive injuriis alio-
 rum premuntur & læduntur, in Urbem Jerusalem, vel etiam in
 Ecclesiam veluti in Deum sint confisuri, vel fiduciam piorum in
 Ecclesiam locatum iri; sed illud dicere legati volunt, fideles in
 Zion s. urbe Jerusalem h. e. in Ecclesia conservatum iri tutosque
 in ea Spiritu pauperes fore propter Messiam, in Zione interim
 conservanda suo tempore certò exhibendum, sub quo & in quo
 omnes afflicti confidenter aeternumque tuti erunt. Non enim
 dubitandum, quin hoc ipso nunciorum responso ad tempora pro-
 missi Messia, Populi Dei fiducia & solatii, in Zione exhibendi,
 imo ex Zione cum Evangelio quondam suo in orbem egressu-
 ri, Isa 2. 3. & propter quem & in quo Zion fundata est atque ser-
 vata, prospiciatur. Consentit nobis D. Seb. Schmidius, Comment.
 in Isa. h. l. p. 150. ubi post verba superius in fine §. 6. citata, un-
 decim lineas suas, ad præsentem de nunciis locum scri-
 ptas, ita claudit: ceterum *videtur hoc canticum prospicere omnino in*
tempora usque Messie, hoc sensu: Certum argumentum est victoria
à Philistæis obrenta, quod Deus fundaverit Zion, ut ab hominibus opprimi
non possit, futurumque, certò sit illud etiam, quod de Messia promissum, sub quo
omnes afflicti & pauperes Spiritu reirendi & in Domino sine con-
fisuri.

§. 10. Usus loci hætenus expositi in Theologia controversa
 non adeo apparet, nisi Zionem à Deo fundatam hinc (uti aliàs solet)
 eypum Ecclesia dicamus, adeoque hinc colligamus (1.) Ecclesiam à
 Deo ipso fundatam non perituram esse; Deus enim fundavit illam non

extra

extra se, sed supra se ipso. Uti proinde ipse firmus & immotus est, ita necesse est, firmum perstare, quod non modò à Deo, sed & in Deo est fundatum. Hinc illud est Matth. 16. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non prævalent ei.* Quod quidem Pontificii ad suam trahunt Ecclesiam, super Petro, Pontifice suo primo, ut ajunt, ædificatam; item ad Ecclesiæ immutabilitatem & perpetuam claritatem. Quàm longè verò aberrent, passim à Nostratibus monstratur. Loquitur enim Servator de Ecclesia Universalis, non super Petro, sed super ipso potius Christo tanquam petra immobili fundata deqve ejus firmitate & perpetuitate. Nam adversus Ecclesias particulares inferorum portas sæpius prævalere, experientia testatur. (2.) licet Ecclesia sit firma & perpetua, in hoc tamen mundo *conditionem* ejus, & illorum qui eandem defendunt, *subinde variare, nec eandem Ecclesia semper apparere faciem, nec eundem esse defensorum ejus felicitatem.* Sicut enim hactenus Israelitæ, (quos veram religionem & Ecclesiam habuisse nemo dubitat) à Philistæis sub Rege Achaz fuerunt pressi, ut propterea hoc loco dicantur afflicti populi DEI, licet jam sub Chiskia Achaz filio victores Philistæorum respirarint, ut triumphum propterea *de Zione à DEO fundata, & de confidentia afflictorum populi DEI referre nuncii gentis potuerint*: ita Ecclesia eruci subjecta est & afflicta, Joh. 16. 20. Act. 14. 22. 2 Tim. 3. 2. Igitur facessere meritò Pontificios jubemus, qui splendorem externum & defensorum Ecclesiæ felicitatem, inter perpetuas Ecclesiæ notas referre amant. Si enim hæc vera Ecclesiæ nota esset, olim Ecclesia potius apud Philistæos, Assyrios & Babylonios, Israelitarum persecutores sic satis florentes, quàm apud Israelitas fuisset. Quoties enim Philistæi in prælio contra Israelitas prævaluerunt? plerumq; enim impii in hoc mundo feliciores Ps. 73. 3, 4, 5. Jerem. 12. 4. pii v. afflictionibus sunt obnoxii, quod omnium ferè temporum exempla confirmant. 3.) *in Ecclesiam quidem nobis non esse credendum; credere tamen nos Ecclesiam inque ea per fiduciam in Christum tutos salvosque nos esse, quia Dominus illam tuetur & in illa Servatoris merita offeruntur, in quibus confidenter acquiescendum est.*

COROLLARIA RESPONDENTIS,

- I. **U**ti cœlestes Nuncii in natiuitate & tentatione Christi Luc. 2. Matth. 4. ita & in passione suam Christo operam commodauerunt Luc. 22. 44.
- II. Mirabile autem dictu! per quem omnia, etiam Angeli, sunt creati & subsistunt, Christus ab Angelo creatura in luctu confortatur.
- III. Quis vero luctum confortandi potest effari? Luctum cum peccatis, non quæ fecerit ipse; sed nostris, quæ portabat: luctum cum irato propter peccata DEO, cuius iustitia peccato hominum lesa erat satisfactorius: luctum cum pœnis peccatorum, doloribus præsertim infernalibus, à quibus nos erat liberaturus. Vehementiam tamen luctu sanguineus Christi sudor ante Angelicam confortationem expressus, declarat.
- IV. Confortatio non consistebat in sola meritorum christi laudatione, juxta Epiphanium, cui patrocinatur Vasquezius: neq; in nudo Angeli ministerio, juxta Lyranum &c. sed in verbum verbum reali corroboracione, ut summa, ineffabilis & stupenda serui forma & ἐλάττωσις Christi infra Angelos Ebr. 2. 9. declararetur.
- V. Angelus verò ille lapidem tempore resurrectionis Christi à sepulchro removens Matth. 28. 2. non christo resurgenti, (quippe qui clauso jam sepulchro resurrexerat, sicut idem eodem die clausis planè foribus ad discipulos est ingressus Ioh. 20.) sed mulieribus confirmandis seruebat.

Ad præstantissimum DN. THAU,

ⁱⁿ Colleg. Bibl. & Disp. Theol. & Ebræo Auditorem meum percharum.

Publicitus iam de Nunciis ex Isai. 15. disputaturum,

Legatos memoras referentes ore triumphum,

Quod fundata Deo sit moderante Zion,

Nobile sic studii specimen feliciter edis:

In Cathedram Musis * Charus, Amice, venis:

Perge, dehinc in suggestum quoq; Pastor honorus

Legatusque DEO Charus (id opto), veni:

Perge, dehinc & in amplexus, citò Sponsus, amatae

Charus, Amice, v. ni, quando cupido trahit.

Grav

Gratulor' interea studii documenta precatus,
Ut favor ac ingens inde redundet amor!

*Henricus Tau;

Anagr.

Charus venit.

LM^g

A. D. HABICHHORST, D.

O Stendit lætam Tua dissertatio, THAWL,
Nunc segetem, fructum fertilis ingenij.
At *Rorem* sities. Stillent Tibi largiter imbres!
Divinæ Te auræ ROS precor ut recreet.

Ita Nobilis. Dno Respondente

LM Q. applaud.

SAMUEL STARKHUS, D., P. P.

Nuncius is gratus, qui fert res laude perenni
Dignas, has hodie fers, Bone, primitias.
Fac crebro nobis tam *gratus nuncius* exstes,
Sic animæ dulcis ROS eris atque Dei.

devoto suo Confessori & laudabili Disputatori

L.M. Q. gratulat.

JOHANN. MAURITIUS POLZIUS, SS. Theol. D.
ad S. Joh. Pastor.

St Zion Gottes Stadt vom Herren fest gegründet!

So muß erwünschter Fried in ihren Mauern seyn!
Den Himmels Lust-Pallast kan kein Feind nehmen ein!
Weil ihm vor Sturm und Fall der starcke Held entbindet!

Drumb der Philister sich/vergebens unterwindet.

Geehrter Freund/du bringst uns diese Borschafft zu!

Wie in der Gottes Stad sein Volk genießet Ruh!

Und wie des Feindes Heer gleich wie der Rauch verschwindet!

Zu diesem grossen Werck weibe deinen Geist und Sinn!

Der Herr von Zion selbst; was soll seyn dein Gewinn?

Er wird in dieser Stadt dich seinen Vohren gleiten.

Ich wünsch schon Glück dazu/ daß du mögst offenbahr

Hier oder dort mein Freund! mit deiner gaben Schaar

Zu deinem eignen Heil des Höchsten Ruhm ausbreiten.

Hiermit hat seine Freundschaft dem Hr. Respondenten

Glück wünschend erweisen wollen

J. E. CHRYSANDER Saxo, Philof. & SS, Theol. St.

bus DEI gratiosis & gratuitis q. d. excidium Philistæa
signe DEI gratiæ documentum, ex quo non tantum h
populi Dei jam devicti, sed & remotissima gentes intelliger
firmasse promissionibus ideòque tueri urbem hanc & c
populum, cui Deum se fore promisit, quemque adeo f
ita ut ex illo Messiam destinaverit nascendum, qui omni
fugium & solatium futurus. Quorsum & *posterioris pradi*
linat, quo nuncii hinc nostri de Zione confitentur, *quod i*
fieri sint afflicti (pauperes) populi Dei. Hoc enim non ita acci
ac si afflicti s. pauperes populi Dei, qui sive armis sive in
rum premuntur & læduntur, in Urbem Jerusalem, ve
Ecclesiam veluti in Deum sint confisuri, vel fiduciam
Ecclesiam locatum iri; sed illud dicere legati volunt,
Zion s. urbe Jerusalem h. e. in Ecclesia conservatum i
in ea Spiritu pauperes fore propter Messiam, in Zion
conservanda suo tempore certò exhibendum, sub quo
omnes afflicti confidenter aeternumque tuti erunt.
dubitandum, quin hoc ipso nunciorum responso ad tem
missi Messia, Populi Dei fiducia & solatii, in Zione e
imo ex Zione cum Evangelio quondam suo in orbem
ri, Isa 2. 3. & propter quem & in quo Zion fundata est
vata, prospiciatur. Consentit nobis D. Seb. Schmidius,
in Isa. h. l. p. 150. ubi post verba superius in fine §. 6. c
decim lineas suas, ad præsentem de nunciis locu
ptas, ita claudit: ceterum videtur hoc canticum prospicer
tempora usque Messia, hoc sensu: Certum argumentum est
à Philistæis obrenta, quod Deus fundaverit Zion, ut ab hominib
non possit, futurumque, certò sit illud etiam, quod de Messia promissi
omnes afflicti & pauperes Spiritu recreandi & in Domino
fisuri.

§. 10. Usus loci hætenus expositi in Theologia ce
non adeo apparet, nisi Zionem à Deo fundatam hinc (uti
Ecclesia dicamus, adeoque hinc colligamus (1.)
Deo ipso fundatam non perituram esse; Deus enim fundavit

